

4. Modus vivendi per Synodum, omnia ut supra,

5. Sessionis sequentis diei cœremoniale.

Benedixit Revmus Episcopus insignia canonicorum, id est, annulum pastorale, rocchettum et cappam, et omnes mox ad sacellum succederunt, ut Sanctissimum adorarent, cantata liturgica invocatione.

Deinde, hora octava, particulares congregationes seorsim habitæ sunt ad eligendos secretarios.

PRIMA SESSIO SOLEMNIS.

Anno Domini octingentesimo septuagesimo nono supra millesimum, die vigesima sexta augusti, hora septima cum quadrante, a domo episcopali ad cathedralem ecclesiam processionaliter comitati sunt Illmum ac Revmum Episcopum canonici et reliquus clerus præcedente cruce delata inter duos acolytos cum candelis accensis. Synodales stolam rubri coloris gerebant, Pontifex vero et canonici rocchettum, cappam et annulum pastorale. Omnes per viam cantabant litanias lauretanæ; missa de Spiritu sancto absque ulla commemoratione pontificaliter celebrata est, et, cum Episcopus, depositis planeta et tunicellis, pluviale induerit, oratio ad populum habita est a Rev. Patre Baudevin, S. J., qui et spiritualia exercitia direxerat.

Tum incepta est Sessio, juxta Pontificale.

Sedens Episcopus in faldistorio cum mitra allocutionem habet e plano altaris ad Synodales, ut sequitur :